



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ruperti Abbatiss Tvitiensis, Summi Disertissimi Theologi, sacris du[n]taxat literis omnia probantis, in XII. prophetas minores, Commentariorum Libri XXXII

Rupert <von Deutz>

[Köln], M. D. XXVII.

VD16 B 3835

Ca. XIII. Ad iracundiam me provocavit Effraim in amaritudinibus suis, [et] sanguis eius super eum vemet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71859)

COMMENT. RUPER. ABBA. LIB. V.

offerre debuerint: adeo multiplicauerunt altaria (sicut superius iam dictū est) & ita exuberauerunt simulachris, & in uicis tam multa starent altaria, ut solent manipulorū, congesti stare acerui. Hoc cōtine est h̄reditariū paternæ fidei, quod habito iudicio domini cum Iuda: & uisitacione super Iacob, filij Iuda uel filij Iacob mereantur nuncupari: Non utiq; sequitur eū. **L. Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Iſrahel in uxore, & in uxore seruiuit.** In propheta autem eduxit Iſrahel de Aegypto, & in propheta seruatus est.

Gen. 27

Deu. 7

Laus Iacob ab uxoribus.

Ge. 26

Ge. 29

CA. XIII.

Duplex Iſrahel.

Exod. 5.

Causa ista nō minime operatur in illo iudicio siue operatione dñi super Iacob, in discernendo, quis ueraciter & quis falso dicatur esse semen Iacob. Cur eū ille fugit in regionē Syriæ & seruiuit in uxore? Videlicet ne quando ad eiusmodi perducere altaria p̄ mulieres Chanaan. Dixit eū Rebecca ad Isaac. Tædet me uitæ meæ propter filias Eth. Si acceperit Iacob uxore de stirpe huius terræ, nolo uiuere. Vocauit itaq; Isaac Iacob, & benedixit, præcepitq; ei, dicēs. Noli accipere cōiugē de terra Chanaan, sed uade & proficiscere in Mesopotamiā Syriæ ad domū Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxore de filiabus Labā auunculi tui. Itaq; mulieres terræ illius fugit, q̄ possent illi scandalū esse & causā peccati: & exēplū eius sequendū esse, propter causam eandē, Moses itaq; scripsit. Non inibis cū eis fornicus, nec misereberis eoz, neq; sociabis cū eis cōiugia. Filiā tuā non dabis filio eius, nec filiā illius accipies filio tuo: q̄ seducet filiū tuum ne sequatur me, & ut magis seruiat dñs alienis, irasceturq; furor dñi, & delebit te cito. Isti autē econtra de Galaad in Galgal, de Galgal in Galaad cursitabant, quærendo & sequēdo idola, q̄ ille de gente in gentē, & de regno in populū alterū pertransendo fugiebat. Falso igitur filios illius se esse dicūt, cū sint potius Chanaan (sicut supra dictū est) cuius opera sectati sunt. Magnū profecto p̄coniū est fugientis, in eo qd̄ dicitur, & in uxore seruiuit. Maluit uxore iuxta beneplacitū dei patrisq; ac matris propria seruitute acquirere, q̄ filias Chanaan ducere cū offensione, sicut fecit Esau, de quo scriptū est. Esau uero quadragenarius duxit uxores, Iudith filiā Beberi Ethei, & Bascinath filiā Heloym eiusdē loci, q̄ ambæ offenderant animū Isaac & Rebecca. Vxor illa in qua seruiuit, Rachel extitit. Nō pro Lia seruiuit aut conuentionē fecit, sed pro Rachel, quā solā diligens à patre exiuit. Iccirco autē repetijt dicendo, & seruiuit in uxore, & in uxore seruiuit: q̄ uidelicet bis pro una eadēq; Rachel septēnē seruitutē subiit. Septē quippe annis seruiuit, anteq̄ cōiugē duceret, & debito cōiugio fraudatus est: sed q̄rela deprompta, protinus post Liæ copulā, quā nō q̄sierat, optatis potius nuptijs Rachel, rursus seruiuit septem alijs annis. Et notandū quod sic repente nomen cōmutatur, dicendo: fugit Iacob in regionē Syriæ, & seruiuit Iſrahel in uxore. Quando fugit, dicebatur Iacob: quando autē seruiuit meruit uocari Iſrahel: autē utiq; meritis, sicut narratio continet reuersionis eiusdē de seruitute redeuntis. Ad eandē distinctionē tanti patris, & eorū, qui, quamuis carnis eius filij, nequaquam tamen merentur in semine reputari, spectat & illud, quod protinus subiungit. In propheta autē eduxit dñs Iſrahel de Aegypto, & in propheta seruatus est. Nā econtra subaudiendū est. Istiautē de Aegypto mente nequaquam sunt egressi, imò ipsi sunt Aegyptus faciendo sibi & colendo deos Aegypti, scilicet uitulos, quorū cultū didicerūt in terra Aegypti. Vnde cōfestim in sua p̄sona deus cōquerendo dicit. **L. Ad iracundiā me prouocauit Eſſraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eū ueniet.** Statimq; propheta subroz inuasit Iſrahel, & deliquit in Baal, & mortuus est. Et nunc addiderunt ad peccandū, feceruntq; sibi conflatile de argento suo quasi similitudinē idolorū. **Factura artificij tota est.** His ipsi dicunt, immolate homines uitulos adorantes. **Hæc oia quæ hic dicta sunt declamatione uehemēti propheta, iudiciū dñi: & uisitacionē super Iacob iustificantis, fortiter cōuincunt eos, q̄ nō sint aut mereantur dici Iſrahel, qualem dñs in propheta ueraciter de Aegypto eduxit. Alij nāq; & longe diuersi, imò & cōtrarij Iſrahel uero & fideli, quē in propheta Mose dñs eduxit de Aegypto, uero corde dicēte. Eamus & sacrificemus dño deo nostro: Illi fuerunt qui in amaritudinibus suis eundē dñm ad iracundiā prouocauerunt, tentando & male loquēdo de ipso, semperq; murmurādo cōtra eū. Et ille quidē Iſrahel qualis erat Iosue siue Caleph, in eodē propheta seruatus est, ascendendo per mare rubrum: illoq; autē corpora prostrata sunt in deserto. Illorum omniū deterrimus, & maximus**

& maxime notabilis extitit Efraim, id est, Hieroboam de tribu Efraim, qui populū scindens à domo David, vitulos aureos pro deo colendos instituit. Iccirco confestim in illū sermo recurrit, dicente domino: Ad iracundiam me prouocauit Efraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius, id est, peccatum eius, super eū ueniet, ut scilicet intereat, & regnū perdat in posteris suis, quod tali modo retinendum putauit. Et quia præsens pœna nō sola red datur impœniti, subiungens propheta. Et opprobrium (inquit) eius restituet ei dominus deus suus, id est, in futuro quoq; seculo tanti opprobrii memoria nō delebitur, qui in tantū se deiecit, ut deserto creatore deo, coleret non tam uitulum q̄ inanimatam & insensibilem similitudinē uituli. Nec uero sui solius, sed & omnium, quos ad tantum opprobriū induxit, perditio in illum redundabit. Iccirco peccatum eius amplius declamās, loquente (inquit) Efraim, horror inuasit Iſrahel, & deliquit in Baal, & mortuus est. Et est sensus. Dicente Hieroboam, isti sunt dii tui Iſrahel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Horrendus error, & erroneus pauor inuasit Iſrahel: ut aut uerum putaret, aut obloqui nō auderet: & nō solū uitulos illos, sed & Baal, agente Achab cum Iezabel, coleret, atq; hoc modo mortuus est. Extunc usus idolatriæ tantum excreuit, ut pene in omni loco singuli propria pro posse sibimet fabricarent idola in agris & in domibus suis. Hoc est quod ait. Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntq; sibi conflabile de argento suo, quasi similitudinem idolorum, ut scilicet haberent ipsi quoq; suos uitulos. Nam quia rex deos habebat aureos, ipsi secundum suam possibilitatem fecerunt sibi deos argenteos. Totum hoc (ait) factura est artificum, sicut alibi scriptum est, Simulachra gentium argentum & aurū, opera manuum hominum. Quod cum ita sit, recte admiratur & dicit. His ipsi dicunt, immolate homines uitulos adorantes. Nam uere mira & nimis misera stultitia, mandare homines, qui sunt opus dei, tali facturæ artificum immolari. Hoc tam grande malū nequaquam illis fuit inusitatum. Scriptum est enī. Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs, Et effuderunt sanguinē innocentum, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Qui autē sunt ipsi qui hæc dicunt? Nimirū sacerdotes siue artifices quorū illa factura est. Vos (aiunt) d̄ cultores idolorum, quia non suppetunt hostiæ, filios uestros, & filias uestras, idola siue uitulos nobiscum adorantes, eisdem uitulis immolate. Tantis ac talibus causis red ditis, quibus in iudicio domini cū Iuda siue uisitacione super Iacob cōuincantur, quod potius semen Chanaan q̄ semen Iacob mereantur dici, nunc superest pronūciare cōdignas iudicij sententias, & diffinire, qualem pœnam isti falsi filij, & qualem gratiam iure recipiant ueri filij patris illius Iacob, cuius deus dominus dignatur esse uel dici. Sequitur ergo. Iccirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens. Sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario. Ego autem dominus deus tuus ex terra Aegypti, & deum absq; me nescies, & saluator non est præter me. Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis. Prior namq; sententia super illos filios carnis, & non fidei Iacob depromitur, quod ipsorum memoria sit peritura: sequens ad istos, non tantum carnis, sed & fidei filios, quod in aduentu saluatoris Christi saluandi sint in domino salute æterna. In illorum, qui reprobantur, sententia quatuor ista pro similitudine posita sunt, nubes, ros, puluis, & fumus. Notandum uero, quod nullum horum simpliciter positum est, sed cum adiectione, quæ malum significet, quia uis delicti unumquodq; horum simpliciter positum, in bonam partem accipi plerunq; solet. Scriptum est enim. Qui sunt isti, qui ut nubes uolant? Item. Concresecat in pluuia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Vel, ut Abraham loquitur ad deum, Loquar ad dominum cum sim puluis & cinis. Et Psalmista dicit. Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Itaque quatuor hæc omnia simpliciter in scripturis posita, in bonam partem accipi possunt, iccirco singula hic cum adiectionibus congruis, posita sunt: per quas à sempiterni boni significatione distinguūtur. Nubes matutina, ros item matutinus, & mane pertransiens: puluis turbine ex area raptus, fumus item de fumario turbine raptus dicitur: atque ita hæc omnia perituram cōuenienter significant memoriam illorum, qui cum deberent esse semen Iacob, ipsi per suum uitium in illū Chanaan, qui à patre sancto maledictus est, degenerauerūt. Et quidē hoc, scilicet delēdā esse memoriā illorū, quatuor

3. Reg. 121

Dit autē & argentei

Psal. 113

Homines immolari idolis olim apud Iudæos.

Psal. 108

Est. 60

Deut. 32

Gene. 28

Psal. 103

Hec quatuor differunt significatione.

Gene. 9

COMMENTA · RVPER · ABBA · LIB · V ·

quatuor ista pariter significant: uerū tamen in proprijs significationibus diuersa sunt. Etenim duo postrema, uidelicet puluis turbine raptus ex area, & fumus de fumarario, manifestā exprimunt iram: duo autē præcedentia, nubes matutina, & ros matutinus præteriens, temporalem, licet & cito transiturā quandā misericordiam, iuxta illud, quod supra in hoc eodem propheta dictū est. Quid faciā tibi Esraim, quid faciā tibi Iuda? Misericordia uestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Deniq; & hic & illic nubes matutina & ros mane pertransiens, temporalia significant genti illi collata, bono quidē secundū se, sed malo illoꝝ cito transitura. Duo sequentia manifeste sempiterna significant mala, sicut iam dictū est. Etenim hæc impiorū retributione perire, sicut disperit puluis turbine raptus ex area, & sicut deficit fumus turbine raptus de fumarario. Psalmista quoq; dicente: Nō sic impij nō sic, sed tanq̄ puluis, quē proijcit uentus à faciē terræ. Itē: Inimici uero dñi, mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quēadmodū fumus deficient. Sit itaq; nubes illa matutina, siue ros ille mane pertransiens, taliū pars filioꝝ, qualis fuit Esau, cui dixit pater Isaac: In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Nā illoꝝ qui sunt semē Iacob, uel reputantur in semine, suntq; Israhelitarū, pars dñs est, sicut protinus uerbis sequentibus exprimitur. Ego autē dñs deus tuus ex terra Aegypti, & deū absq; me nescies, & saluator nō est præter me. Ecce cognouit in deserto in terra solitudinis. Qui em̄ hæc loquitur dñs deus dicens, & saluator nō est præter me, Christus est dei filius, fructus benedictionis illius, quā non meruit Esau, Iacob autē adeptus est secundū uerba hæc. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dñs fratru tuorū, & incuruentur ante te filij matris tuę. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Hoc nimirū in spū sancto agebatur, ut quando diuidēdi erant Iacob & Esau, iuxta illud diuinū oraculū, duę gentes in utero tuo sunt, & duo populi ex uentre tuo diuidentur: nō de Esau, sed de Iacob semen Abraham, quod est Christus, nasceretur. Hic ergo cū dicit, ego autē dñs deus tuus. Notandū quod addit ex terra Aegypti. In hoc nanq; breuiter astruit, quod non sit deus recens, quāuis in nouissimis diebus de uirgine natus sit. Poterat autē dicere sic, ego autē dñs deus tuus ex Abraham, quēadmodū & Iudæis dicentibus, quadraginta annos nondū habes & Abraham uidisti? Respondens. Amen amen (inquit) dico uobis, anteq̄ Abraham fieret ego sum. Cur ergo dicere maluit, ex terra Aegypti? Videlicet quia tunc magis innotuit & potentia suā ostendit in signis & prodigijs, qualia Abraham nō ostendit, propter qđ & Moysi tunc ait. Ego dñs qui apparui Abraham, & Isaac, & Iacob in deo omnipotēte, & nomē meum Adonay non indicaui eis. Tunc etenim scœdus pepigit cū illis in monte Synai, ut esset deus eorū. Qui dixerunt ad Moysen. Omnia quæ locutus est dñs, faciemus: & erimus obediētes. Ille uero sumptū sanguinē resperfit in populū, & ait. Hic est sanguis scœderis, quod pepigit dñs uobiscū super cunctis sermonibus his. Sermonū eorundū initiū erat hoc. Non habebis deos alienos corā. Recte ergo & hic ait. Et deū absq; me nescies. Continuo quoq; addit. Et saluator non est præter me. Iste deus & saluator Christus est, Deus quia creauit, saluator qui factus homo saluauit. Vnde & Iesus (quod interpretatur saluator) nuncupari uoluit. Vere præter hūc saluator nō est, quia nō est in alio aliquo salus, nec em̄ nomen aliud sub cœlo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Gratiōsa ualde cōmemoratio ē qua tandē dicit. Ego cognoui te in deserto in terra solitudinis. Neq; em̄ exiguū quid est ei, qui oīa scit & oēs per scientiā nouit, notū esse per grām illa notitia, iuxta quā uni illoꝝ uero Israhelitarū, scilicet Moysi dicit. Inuenisti em̄ grām corā me, & teipsum noui ex noīe. Et qđ tunc uni illi dictū hoc esse legimus, sed qđ uni dicit, omnibus dicit: quos tūc tēporis, imō & ante & post tēpus illud p̄scitos atq; p̄destinatos elegit: quia cūctōꝝ noīa in libro uitæ scripta. Proinde & hoc sciēdū, quia qđ electi, in deserto cognoscūtur maxie & in terra solitudinis, in deserto huius seculi, ubi deū nemo unq; uidit, in solitudine cordis & occulto cōscientiæ latentis, ubi solus deus animā tentationibus circūuentam prospiciens exercet & probat, & legitime currentem cognitione sua dignam ducens, profitetur quia cognoscit. Talibus & ita

Lucę. 10. cognitis siue nominatis ipse in euāgelio dicit. Gaudete quia noīa uestra scripta sunt in cœlis.

FINIS LIBRI QVINTI.